



**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1682**

10. Dies Augusti. Altissima quæque flumina, minimo sono labuntur.  
Curtius I. 7.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-55659)

Augustus.

Tessera.

621

carnationis, Nativitatis, &c. sic quotidie ob quodlibet Dei beneficium, deberet esse in corde quasi dies festus. Ad hoc nos hortatur Poëta:

*Sit cordis festum; panem meminisse comedimus.*

## IO. DIES AUGUSTI.

Altissima quæque flumina, minimo sono labuntur.

*Curtius l.7.*

Affabi. I.

**P**ertexo telam Virtutum Moralia, quas inter nulla est, quæ tantas animis ad alliciendum habet præstigias, quæcum comis quædam erga omnes Affabilitas. Hæc potissimum versatur circa congressiones, & convictum: hoc est, circa totum ambitum actionum, ad humanam, & sociem vitam, ac conversationem spectantium: præser-tim ad colloquia cum aliis: quæ homo affabilis studet ita attemperare, ut proximo grata sint, & talia, quæ hominem in civili vita degentem, non dede-cant. Necesse quoque ad eam est, præcurrere animi hilaritatem. Nam, ut dixit Sidonius: (a) *Quidam barbarismus est morum, sermo secundus, & animus af-flictus.* Hæc Affabilitas potissimum convenit iis, qui, vel in potestatis culmine, ut p̄f̄sint: vel in dignitatis apice, ut imperent, sunt constituti. Illi igitur, qui alta occupant fastigia, imitantur altissima flumina, quæ, ut monet Tessera, minimo sono labuntur. Sic & illi, mi-nimo tono loquuntur. sint Magnates, tanquam ma-gnetes, qui coi affabilitate omnes etiam ferreos homines ad se trahant, tractos, sibi concilient, conciliatos obligent. Summa sapientia est in aucupe, scire,

quo

(a) *L.9.ep.3.*

622      *Christiani Militis.*      Augustus.  
quo genere ciborum, singulæ volucres delectentur.  
Et ut benè Arbiter: *Nisi pescator eam impoauerit ham  
escam, quam scierit appetituros esse pisciculos, sine ista  
præda moratur in scopulo.* Sic voluntates, quæ variis  
simulationum involucris teguntur, partim largien-  
do, partim affabiliter alloquendo, partim promit-  
tendo, sunt nobis conciliandæ.

II. Maneat altâ mente reposum illud Sidonii effa-  
rūm: (a) *Breve sapè tempus est audience, sed diuin-  
num injuria.* Illius memor Pius II. Pontifex Maximus:  
cùm ad eum Senex verbis supra modum profusus,  
petendi quidpiam gratiâ venisset, eumque, quia pro-  
fusiorem quidam de adstantibus admoneret, verè  
Pius Pontifex, omnia illum ab exordio repetere im-  
perat, vultuque severius in alterum rēporto: *Nesci-  
ait, ex quo Pontificatum ini, alis vivere me oportere, non  
michi.* Sic agant utinam, & dicant, qui vel in domo  
sunt, patres familias, vel in Urbe, Consules, vel in Pa-  
tria, Præsides, vel in basilica, Principes, vel in Eccle-  
sia Antistites, omnes denique in alios imperio pol-  
lentes. Optandum, omnes in se exprimerent, mori-  
bus, quod in Constantino Nazarius tantoperè effert  
laudibus: (b) *Quid? faciles aditus: quid? aures pauci-  
tissime: quid? benigna responsa: quid? vultum ipsum  
Augusti decoris gravitate, hilaritate permixtā, venc-  
randum quiddam, & amabile renidentem, quis digne-  
re exequi posset?* Quarum rerum miraculo, sic omnes de-  
vinciebantur, ut non tam omnes dolerent, quod illum ty-  
rannum tamdiu tulerant: quam quod tali Principetam  
serò fruerentur. Qui talis est, tutior erit publici amoris  
excubis, quàm omnium militum gladiis. Unde, qui

(a) L. 4. ep. 6. (b) Orat. in Constant.

tutò regnare volunt, benevolentia, non armis stipari  
studeant.

III. In perfecto amore non licet reperire verba  
ficta, atque officia fucata. Qualis est amor in corde, ta-  
lia sint verba in ore, si dissident verba, & corda, talis  
se magis reddet suspectum, quam suspiciendum. Qui  
multis praest, est quasi araneus in medio telæ, ubi si  
apice acus, filum aliquod telæ vel levissime tangatur,  
mox illud sentit araneus; sic nullus subdirotum, de-  
bet minimâ tangi injuriâ, quin hoc statim sentiat us-  
que ad viscera. Plus debet conniti, ut affabilitate oin-  
nes pelliceat, quam severitate terreat. Est enim illud  
nimis quam verum: (a) *Nemo ei satis fidus, quem me-  
tuit.* Itaque illud Josephi: *Semper firmius est Principis  
imperium, qui amari vult, quam qui metui.* Natura  
enim, sic comparatum est, ut subiecti delectentur Regi-  
bus, de suo fastigio se non nihil demittentibus. Horum  
non nescius Tiberius Imperator: (b) *In appellandis,  
venerandisque singulis, & universis propè excesserat hu-  
manitatis modum.* Huic similis fuit Rodolphus Impe-  
rator Austriacus, cum enim, frequentior esset ad eum  
populi concursus, & per satellites quosdam tenuio-  
ris fortunæ ad te affectantes submoveri videret, non  
sine stomacho edixit, *Per Deum, sine homines ad me  
venire, non enim idèò ad imperium vocatus sum, ut in  
arcula includar.* Semper affabilibus sunt blanda fan-  
di tempora. Quam sit blanda animorum conciliatri-  
cula, Affabilitas. Si mihi non credis, ipsi crede Elo-  
quentiae, hoc est, Tullio. (c) *Difficile dictu est, quanto-*

*perè*

(a) *Curt. l. 10. 8. Antiq. 3.* (b) *Sueton. in ejus vitac.  
29. (c) l. 2. de offic. c. 14.*

624      *Christiani Militis*      Augustus.  
pere conciliet animos hominum comitas, affabilitasq[ue]  
verborum. Dicam igitur cum Poëta:

*Si vis esse comes mihi: mores accipe comes.*

## II. DIES AUGUSTI.

Explicando te à mundo, simplex; Implicando, duplex  
eris. *S. August. Hom. 2. in Joan.*

Simpli-  
citas.

**S**implex vocatur moribus, qui  
commissus, ac multiplex non, est  
nec in varia abit, sed unius tantum,  
& incompositæ est formæ. Itaque  
simplicitas signat animum non effusum in multa, nec  
distraictum in res externas. Non raro simplicitas, ani-  
mi lenitatem, referendæ injuriæ nesciam denotat,  
conjunctionem cum quadam naturæ bonitate quæ quis  
ægerrimè inducit; ut de alio suspicetur, præter-  
quam quod apertum est, forisque proditur. Unde qui  
transactâ injuriâ, iram abjiciunt, nec in aliquo pecto-  
ris recessu, ac fluxu recondunt, & ideo de vindicanda  
inuria non sunt solliciti, meritò dicuntur simplices  
sicut columbae, (a) quæ, (teste S. Cypriano) est simplex  
animal, & latum, non felle amarum, non moribus savum,  
non unguium laceratione violentum. Itaque simplici-  
tas, est quiddam è pulcherrimis perfectionibus con-  
flatum, eximia vitæ ratio, omni decoro, ac venustate  
concinna, coram Deo pretiosa, quam etiam uno ver-  
bo dicimus Innocentiam, cum abest ab animo seclusus,  
à corde, vindiæ cupiditas, ab ore, loquendi callidi-  
tas, à moribus, duplicitas, atque ut in lyra, est omnium  
in mente, & voluntate actionum Christianatum  
symphonia, hoc est breviter, candida simplicitas, &  
animi

(a) *De vit. Eccl.*